Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 1165

Quelle:
Copyright:

lis. decius caeſar. et ualerianus praefectus praetorio iuſſerunt ſibi ſixtum epiſcopum cum clero ſuo preſentare. Sunt potius Acta *Sixti* et *Laurentii* connexa. Apud *Mombritium* extant T. II. ſed prolixiore ingreſſu. Apud *Bollandianos*, quae *Sixti* ſunt, legun-tur T. II. *Aug.* p. 140. quae *Laurentii*, p. 518. *Surius* non habet.

XLVII. *fol.* 165. *Incipit Paſſio Sancti Clementis Epiſcopi Urbis Romae Sub die. VIIII. Kl. decembris.* Initium: *Tertius romane eccleſiae prefuit epiſcopus clemens qui diſciplinam apoſtoli petri ſecutus ita morum ornamentis pollebat* &c. Abruptum eſt Exemplum ad ea verba: *Tunc imperator traianus reſcribit debere clementem epiſcopum aut ſacrificiis conſentire — —.* Integrum extat *Mombritii* T. I. abeſt a *Surio.*

XLVIII. *fol.* 170. *In nomine Sancte et unice Trinitatis. Incipit Geſta Sanctorum Martyrum. Mauricii exuperii Candedi et Victoris Cum Sex Milibus. Sexcentis ac Sexaginta Sex.* Initium: *Temporibus Dioclitiani Quondam Romane reipublice principis. Cum ad imperium totius orbis fuiſſet electus. Omnesque prouintias turbari quarundam praeſumptione proſpiceret* &c. Pariter abruptum Opus in his verbis: *quidam eis aurifex quem adhuc gentilem eſſe — — —.* Apud *Mombritium* non invenio; habet tamen *Surius*, habent et *Bollandiani* T. VI. *Septembr.* p. 345. qui Geſta *interpolata* vocant, atque a ſe cum pluribus *Mſs.* collata teſtantur.

Indiculus praemiſſus fidem facit, praeſtanti huic et Antiquitatis ſacrae Studioſis nequaquam negligendo Codici praeter Recenſita infuiſſe: *Sermonem in Natali S. Mauricii ſociorumque eius*, et *Paſſionem S. Dioniſii ſociorumque eius.*

CCXCIX. VII. E. 5.

Codex membraneus lat. Sec. 303
XIII. Folior. nunc 80. f. per duas columnas nitide exaratus, rubricisque diſtinctus conſtat *Homiliario*, ſeu Collectione *Sermonum a Dominica I. Adventus*, quae, ut videtur, olim ſaltem usque ad *Paſcha* pertigerit, nunc vero mutila eſt, *Sermonibus* LXVI. definita, quorum Themata et Autores enarrabimus:

Fol. 1. *In Aduentu Domini Sermo Maximi Epiſcopi.* Incipit: *Igitur quoniam poſt tempus ieiunii* &c. Ab alio videtur adpoſitum hoc initium. Ceterum eſt *Homilia I. Maximi Taurin.* in *Bibl. PP. Lugd.* T. VI. p. 3.

Fol. eod. p. 2. *Eodem die Sermo Auguſtini epiſcopi.* Incipit: *Satis habundeque dixiſſe me credo* &c. Finit: *Bonum elemoſine mandatum eſt. per quod manibus operamur. corde mundamur. Preſtante domino noſtro* &c. Non inveni in *Auguſtino*, ſed legitur in edit. *Maur. Ambroſii* T. II. *append. col.* 392.

Fol. 2. *Eodem die ſermo leonis pape.* Incipit: *Dominus noſter*